

§. 2. Dum enim corpora sanguine plena sunt,
ac nimia ejus copia turgida; pulsus etiam tur-
giide & celeriter cum vehementia & duritie rigida
pulsant; atque morbi peracuti sunt, cum in-
flammatione praecipue nobilium locorum, qualis
phrenitis est et apoplexia, angina atque
Cynanche, pleurae etiam & ipsorum pul-
monum, atque viscerum reliquorum inflam-
matio; modo sint genuinae, & a causa sanguini-
nea ortae, quae a locis affectis, & a febre conti-
nua nimisque vehementer, aperte praecognoscun-
tur, ac praecipue a causis efficientibus; dum ta-
lia dico symptomata adsunt, quis non promte &
absque metu venam secabit? In istis enim si quis
venam tempestive fecet, in principio nempe mor-
borum, non sero, magnum emolumentum per hanc
evacuationem adfert. Sanguinem etenim rubrum
redundantem, atque ad inflammationes e tergo in-
fluentem, aut & viscera mollia comprimentem,
vel eum, qui vasis angustioribus compactus stasin
pessimam & inflammationem omnino efficit, ex-
hauriens, causam efficientem illorum tollit, quae
est apta morborum medicatio,